

1907.

DESCRIPTIO  
**DUARUM PELVIVM OBLIQUE  
COARCTATARVM.**

DISSE<sup>T</sup>ERTATIO INAUGURALE<sup>S</sup>

OPAM  
**CONSENSU ET AUCTORITATE**  
**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**  
IN  
**UNIVERSITATE LITERARUM CÆSAREA**  
**DORPATENSI**

AD GRADUM

**DOCTORIS INGENIAE**

RITE ADIPISCENDUM

LOCO CONSUETO PALAM DEFENDET

AUTOR

*Ferdinand Weyert.*

DORPATI LIVONORVM.

TYPIS VIDUÆ J. C. SCHÜRMANNI ET C. MATTIESENI.

MDCCLVIII.

Imprimatur

Baec dissertatione, ea conditione, ut, similes typis excusa fuerit, numerus exemplarum lego presscriptus collegio tradatur ad libros explorandos constituto.

Dorpati Livon. die X m. Februario a. MDCCCLVIII.

M<sup>r</sup> 40.  
(L. S.)

Dr. Samson,  
ord. med. b. t. Decanus.

## PROEMIUM.

Aetate recentiore complures de pelvis oblique coaretatis commentationes in medium prolatae sunt, ex quibus maxime scripta a Litzmann, Gurlt, Hohl edita, quibus praecipue obliquitatum et asymmetriarum ortus diligentius pertractatur, commemoranda videntur. Qui viri docti maxime descriptionem atque explicationem a C. F. Naegeli propositam respicientes, multas majoris momenti res hue pertinentes diligentius perquisiverunt atque ex parte sententias ante receptas correxerunt. Cl<sup>r</sup>. Hohl summum attribuendum est meritum, quod subtilibus de ankylosi synchondroseos sacroiliaceae disquisitionibus hanc quaestionem ad liquidum perduxerit. Anno proximo superiore Blasius commentationem de pelvi

mere coxalgica publici juris fecit, in qua sententiis de ejus origine ad illum usque diem pervulgatis repugnat.

Egregia prof. Dr. Adelmann, viri clarissimi, benignitate ex instituti anatomico-chirurgici collectione praeparatorum pelvini oblique coaretatam accepi, in quam, ad ortum quod attineret, in dissertatione inaugurali inquirerem. Quae pelvis praecipue femoris affectione, quae obliquitatis causam attulit, digna est, quae disquiratur. Pelvis alteram, eo maxime insigne, quod pelvibus mere coxalgicis a Blasio descriptis adjungenda est, praetereaque alias quoque abnormitates peculiaribus rerum conditionibus effectas praebet, professoris P. U. Walter, viri summe venerandi, humanitati acceptam refero. Quo factum est, ut nobis duas has pelves, quae, ad spatium ipsarum quod spectat, abnormitates fere easdem offerunt, quae tamen ex causis omnino diversis repetendae videntur, inter se comparare liceret. Lectorem benevolum autem, ut in dijudicanda hac dissertatione indulgentem se praebeat, rogatum volumus.

Denique impellit me animus, ut praeceptoribus honoratissimis, professoribus hujus universitatis ornatissimis doctissimisque, eximiae, qua me adjuverunt, benignitatis gratias agam, quippe qui, tum bibliothecis suis utendi potestate mihi facta, tum consilio amissime dato, cuius rei imprimis professoribus Adelmann, Walter, Oettingen maximas gratias debeo, optime de me meruerint.

## PARS PRIOR.

### Pelvium descriptio.

#### 1. *Pelvis muliebris ad instituti anatomico-chirurgici collectionem pertinens.*

Exstant in hac pelvi vertebrae lumbales ossiumque femoris fines superiores. Ostendit ea utriusque lateris asymmetriam, ad quam femoris affectio in latere, quod pelvis dimidio coarctato oppositum est, inventa accedit. Etenim in osse femoris dextro hae observantur abnormitates. Os, si cum lateris alterius osse comparaveris, atrophia affectum ambitu ubique 2<sup>o</sup> attenuatum cernitur. Trochanter major lateris dextri situm obtinet aliquanto altiore, quam trochanter major sinister, nec non, aequa ac trochanter minor, si cum lateris alterius trochantere conferatur, diminutus apparet. Ossis femoris collum illi affixum, multo brevius factum, longitudine vix  $\frac{1}{3}$  adaequat; parteque superiore arcuatim fere uno tenore in caput femoris transit, dum in superficie inferiore distinctus inter collum caputque femoris interjectus est limes, ita ut segmento transverso

litterae S situm obliquum obtinentis species offeratur. Quas rationes contemplantibus cogitatio objicitur, caput femoris vi aliqua ex parte superiore externaque agente partem inferiorem versus circumactum esse. In segmento transversali os pariter non praebet speciem solitam. Nam substantia corticalis compacta, praesertim in trochantere majori, in capite colloque femoris parum evoluta, velut limbus tenuis, substantiam spongiosam minus densam circumdat. Ossis texturæ inaequabilis nullum vestigium exstat.

In coxa dextra mirationem movet, quod totum articulationis capitulum valde prominet, cui recipiendo acetabuli spatium non satisfecisse videtur. Praecipue partem inferiorem versus caput femoris maxime acetabulo excessit, nec nisi ligamento capsulari obtegitur. Omnimodo capitinis femoris tantum tres partes quintae in acetabulo situm habere videntur, duabus reliquis in fine inferiore os non tangentibus. In acetabuli fundo nihil, quod memoratu dignum sit, animadvertiscar.

Ossi sacro, quod e sex vertebris spuriis consistit, os coccygis ex quattuor vertebris compositum adjacet. Illius a parte superiore deorsum curvatura a norma non recedit: contra ea ossis latera non aequali modo conformata sunt, sinistro, si cum dextro comparaveris, nonnullis in partibus atrophia correpto. Sinistra ossis sacri ala brevior apparet, lineamque arcuatam magis deorsum inflexam offert; nec non in latere eodem pri-

num foramen sacrale anticum angustius cernitur. Ossium in synchondrosi sacro-iliaea concurrentium margines paullulum reflexi sunt.

Ad pelvis introitum quod spectat, ejus forma oblique coarctata est, diametro obliqua secunda praevale. Linea innominata in latere sinistro parte sua anteriore magis in longum porrecta est, dum in latere dextro proprius ad circuli formam accedit, segmento posteriore in synchondrosis sacro-iliaceae regione minus, quam statu normali, anteriore justo magis incurvato. Ossa ilium utroque in latere aequo modo inclinata, neque tamen aquabiliter evoluta sunt. Interior ossis ilium sinistri superficies magis, quam alterius, excavata cernitur. Crassitudinis vix ulla deprehendi potest differentia. Attamen partis planae in utroque osse ilium latitudo inaequabilis est, sinistri parte complanata  $\frac{1}{4}$ " angustiore, nec non ejusdem latitudo deminuta est. Symphysis ossium pubis, promontorio non rectâ opposita, partem dextram versus declinat. Qua in re os pubis sinistrum, si cum dextro comparaveris, magis in internum pelvis spatium recessit.

Quod spectat ad partes acetabulum lateris dextri circumiacentes, ossa acetabulum constituentia atrophia correpta sunt, cujus atrophiae tuberculum pubicum dextrum quoque particeps appetet.

Dimidium pelvis sinistrum, linea innominata sinistrae ossis sacri alae magis deorsum inflexa, situm habet

inferiorem, quam dimidium dextrum. Intra pelvis cavum solummodo partium superiorum discrimen insigne animadverti potest; asymmetria non nisi in introitus pelvis vicinia adesse videtur. Duae partes laterales in aper- turis inferioribus easdem dimensiones ostendunt.

In externa pelvis superficie nihil, quod a norma discedat, in conspectum venit.

2. *Pelvis muliebris ad nosocomii obstetricii collectionem pertinens.*

Praeter pelvim femur sinistrum quoque exstat, quae pelvis, pariter atque modo descripta, utriusque lateris asymmetriam praebet, id tamen ab illo praeparato discrepans, quod affectio femoris, unde abnormitatum origo repetenda est, in latere contrario adest. Namque sinistrum pelvis majoris latus, si cum dextro comparaverimus, excepta spina ilei anteriore inferiore, atrophia correptum videmus. Omnium maxime ratio abnormis, quac ossi femoris sinistro cum pelvi intercedit, sub adspectum cadit. Acetabulum sinistrum haud amplius adest, sed ejus loco fossam non ita late extensam, parum profundam, circiter 1" longam, 7" latam, infra rami horizontalis ossis pubis marginem ob acetabuli marginum atrophiam tori ad instar prominentem, conspicimus, quae fossa sine ullo limite distincto in foramen ovale transit.

Os femoris, et capite et collo privatum, in interna trochanteris majoris superficie fossam glenoidalem lae-

vigatam, canaliculi formam praebentem ostendit, quae, spinae ilei anteriori inferiori lateris sinistri adaptata, hanc tamen non omnino arce circumdat, sed secundum eam sursum ac deorsum moveri atque ad partem externam quoque introrsumque rotari potest. Ejusdem lateris spina ilei anter. infer. torosa ad partem exteriorem tracta appareat, quo fit, ut ossis ilium margo anticus, si a parte anteriore adspicias, S litterac in modum curvatus cernatur. Maxime ad partem externam spina proxime supra ramum horizontalem ossis pubis prominet, a quo quidem ramo sulco non ita profundo disjuncta est. Quo sulco velut capitulum articulationis conformatur, quod in fossa glenoidali femoris inest. Femur pelvi tum optime adaptatur, si flexeris, leviter introrsum verteris adduxerisque. Os femoris ipsum attenuatum, trochanter minor laevigatus est fossamque contingit, quae infra acetabulum atrophia affectum et pone situm obtinet atque verticalem supra tuber isehii et ante id decursum tenet.

Os femoris ea in re fine superiore partim osteophytis parvulis obtectum, partim rimis dehiscens apparet, unde fit ut speciem asperam et inaequabilem prae se ferat.

Jam si os sacrum consideraverimus, hoc ex vertebris spuriis sex consistere, et os coccygis tribus vertebris compositum, ita ut moveri possit, ei conjunctum videmus. Os sacrum satis insigni est latitudine (5" 5"). longitudine, si ab apice ad basin mettere, 5" aequan-

te. Os sacrum, cum osse coccygis solito proprius ad symphysin accedens, intervallō 3" interposito, magis, quam solet, curvatam appetet. Dueae partes laterales inter se non congruunt, sinistra enim angustior, quam dextra, cernitur. Duo prima foramina sacralia antica in latere sinistro magis, quam in altero, latus versus compressa sunt. Linea arcuata interna ossis sacri in latere sinistro magis deorsum inflexa, in dextro magis horizontalis cernitur.

Synchondrosis sacro-iliaca sinistra paullo inferiorem, quam dextra, situm habet, id quod, quoniam tuber sinistrum altius dextro situm est, manifestius cognoscitur, pelvi ita posita, ut utroque tubere innitatur.

In postica ossis sacri superficie nullum majoris momenti discriminem animadverti potest.

Duo ossa ilium magnopere inter se differunt, quorum sinistrum, excepta spina ilei anteriore inferiore, totum atrophia correptum est. Os ilium sinistrum dextro erectius, 5" angustius tenuiusque appetet; crassissima cristae pars diametro 5" adaequat, dum in latere dextro cristae crassities 9" est. Media pars plana ossis ilium sinistri eadem est tenuitate, qua charta, faciemque internam magis excavatam ostendit. Crista curvaturam S litterae forma similem fere omnino perdidit, nec nisi posterius ejus segmentum offert. Quae cristae ossis ilium in longum porrectio inde orta est, quod spina ilei anter. superior cum eaque anterius cristae segmentum admodum partem exteriorem versus

tracta sunt. Pro eo, ut spina, sicuti in latere altero, circiter 10" introrsum vergat, fere 3" magis ad exteriora vertitur. Inde a spina anter. super. anticus ossis ilium margo cursu modo memorato S litterae simili deorsum descendit, qua in re incrassatur et ad spinam inferiorem ipsam summum crassitiei gradum assequitur. Ante spinam inferiorem et pone eam os laevigatum atque excavatum appareat ad recipiendos duos margines fossae glenoidalis in osse femoris sitae. Ad partem posticam et superiorem inde a spina inferiore fovea laevigata non ita profunda, circiter 1" longa, conspicitur, supra exiguum quandam ossis intumescentiam posita, quae fere in regione loci illius, quo os ischii et os ilium inter se coalescunt, situm obtinet. Proxime infra hunc locum prominentem sulcus trochanteri minori recipiendo destinatus initium capit, locum indicans, quo ramus descendens ossis ischii, ac fere eadem altitudine ramus descendens ossis pubis ad exteriora versus reflectuntur.

Tuber ischii sinistrum, dextro 5" altius positum, labio admodum acuto introrsum prominenti instructum, per incisuram ischiadicam minorem, quae brevior magisque curvata appareat, in spinam ischii transit. Quae spina, aeque ac partes proxime circumiacentes, incrassata in superiore incisurae ischiadicae minoris limite osteophyto parvo praedita cernitur, quae processus inflammatiori signa intimo cum acetabuli mutationibus connexu continentur.

In pelvis parte interna praeter alae sinistram ossis sacri diminutionem, de qua mentionem intulimus, formam introitus, id quod ex illa diminutione dependet, commutatam videmus. Namque non animadvertisit solita utriusque dimidii congruentia, sed potius forma introitus obliqua appareat, idque talem in modum, ut symphysis ossium pubis promontorio non rectâ opposita sit, verum ad partem dextram versus declinet. Linea innominata lateris sinistri proxime synchondrosis sacro - iliacam maxime incurvatur, inde decursum in longius porrectum iniens. In latere dextro curvatura summa magis medium decursus partem versus animadvertisit, atque lineae finis anterior magis, quam in latere sinistro, inflexus appetat. Qua in re limes pelvis majorem minoremque inter se dirimens, linea innominata, in latere sinistro minus distinctus cernitur, altera pelvi sensim ac paullatim in alteram transeunte, id quod in regione illa, ubi linea innominata maxime curvatur, evidentissime observatur. In anteriore pelvis ambitu ossa pubis minus inter se congruunt. Juxta spinam ilici anter. infer. os pubis lateris sinistri canalis in modum excavatum ac veluti depresso videmus. Sequitur inde tuberculum ileopectineum in latere sinistro minus, quam in dextro, perfectum, quod inde locus depresso et longior et profundior, inde a tuberculo ileopectineo usque ad tuberculum pubicum pertinens, excipit. Haec rami horizontalis ossis pubis pars marginem prominentem format, ad partem anteriorem versus fo-

veam, quae acetabuli locum tenet, desuper tegentem. Ossis pubis sinistri ramus descendens, uti jam supra commemoravimus, proxime infra symphisin quasi infractus i. e. ad partem externam anticamque inflexus appareat. Quo efficitur, ut foramen ovale, cuius non tanta est longitudo, quanta in latere dextro, non in una eademque planicie situm sit, sed membrana obturatoria sinum formaverit. Praeterea autem ea, quam diximus, abnormitate etiam tuber ischii ramusque horizontalis ossis pubis proprius inter se admota sunt, ita ut hoc respectu utriusque lateris differentia 8" adaequet.

In interna ossis pubis parte osteophytum non ita elevatum, vix 2" altum, fere acetabuli destructi fundo respondens, exstat.

Pelvis exitus, contra quam introitus, cuius latus dextrum altero latius esse diximus, in latere sinistro dilatatus appareat, id quod, tubere ischii ramoque descendente ossis ischii et ossis pubis ad partem externam declinatis, effectum est. Tuberis sinistri ab ossis coccygis apice distantia 2" minor est, quam tuberis dextri. Omnino hac in apertura diametros transversa rectae aliquanto praevalet, ratione hac 4" 6" : 3" observata.

Hoc quoque in casu historiam morbi deesse dolamus.

Jam pelvium dimensiones certius indicare liceat (vide pag. seq.).

	Pelvis I.	Pelvis II.
Distantia inter trochanteres majores	11"	2"
" inter labia externa crista-		
rum ilei . . . . .	10"	5" 10" 2"
" inter spinas ilei antt. supp.	8"	3" 9" 6"
" a crista ilei dextra ad me-		
diam lineam innominatam	3"	9" 3" 10"
" a crista ilei sinistra . . .	3"	6" 3" 5"
" a spina ilei ant. sup. dextri		
lateris ad symphisin os-		
sium pubis . . . . .	5"	4" 5" 6"
" a spina ilei ant. sup. lateris		
sinistri ad symphisin . . .	5"	3" 5" 4"
" a spina ilei dextra ad tuber-		
cul. ileopect. dextrum . . .	3"	3" 2"
" a spina ilei sinistra ad tuber-		
cul. ileopect. sinistr. . . .	2"	7" 3" 1"
" a symphysi pubis ad tuber-		
cul. ileopect. dextr. . . .	2"	8" 2" 6"
" a symphysi pubis ad tuber-		
cul. ileopect. sinistr. . . .	3"	2" 7"
" a symphysi pubis ad tuberl.		
pubicum dextr. . . . .		8" 1")
" a symphysi pubis ad tuberl.		
pubicum sinistrum . . . .		4"

1) Dimensiones, ubi in utroque latere nulla existat differentia, aut ubi partes respondentes deficiunt, omisimus.

	Pelvis I.	Pelvis II.
Distantia a symphysi pubis ad spinam ant. inf. dextram . . . . .	4"	6"
" a symphysi pubis ad spinam ant. inf. sinistram . . . . .	3"	9"
" a spina ant. sup. dextra ad spinam post. sup. sinistram	6"	3" 8"
" a spina ant. sup. sinistra ad spinam post sup. dextram	6"	7" 7"
" a spina ant. sup. dextra ad proc. spinos. lumbal. quin- tum . . . . .	6" 6" 6" 11")	6" 6" 6" 11")
" a spina ant. sup. sinistra ad proc. spinos. lumbal. quin- tum . . . . .	6" 4" 6" 6"	6" 4" 6" 6"
" a spina post. sup. dextra ad inferiorem symphyseos pubis marginem . . . . .	6" 3" 5" 11"	6" 3" 5" 11"
" a spina post. sup. sinistra ad inferiorem symphyseos pubis marginem . . . . .	6" 5" 10"	6" 5" 10"
" a spina dextra ad trochan- terem majorem dextrum	4" 6"	4" 6"

2) Vertebrae lumbalibus deficientibus, distantiam a processu spinoso  
primae vertebrae spuriae ossis sacri mensus sum.

	Pelvis I.	Pelvis II.
Distantia a spina post. sinistra ad tro- chanterem majorem sini- strum . . . . .	5"	5"
" a spina ant. sup. dextra ad trochanterem majorem dextrum . . . . .	2" 8"	2" 8"
" a spina ant. sup. sinistra ad trochanterem majorem sinistrum . . . . .	3"	3"
Conjugata introitus pelvis . . . . .	4"	4" 3"
Diameter transversa . . . . .	4" 9"	4" 8"
" obliqua dextra . . . . .	5"	4" 9"
" " sinistra . . . . .	5" 3"	5"
Conjugata diagonalis . . . . .	4" 4"	4" 8"
Distantia a promontorio ad spinam ant. super. lateris dextri . . . . .	4" 9"	5" 6"
Distantia a promontorio ad spinam ant. super. lateris sinistri . . . . .	4" 3"	4" 9"
Distantia a promontorio ad cristam ilei lateris dextri . . . . .	5" 3"	5" 6"
Distantia a promontorio ad cristam ilei lateris sinistri . . . . .	5" 4"	4" 4"
Distantia a promontorio ad synchon- drosin sacro-iliacam dextram . . .	2" 4"	2" 7"
Distantia a promontorio ad synchon- drosin sacro-iliacam sinistram . . .	2" 2-3"	2" 4"
Conjugata aperturae II <sup>ae</sup> . . . . .	4" 8"	4" 7"

	Pelvis I.	Pelvis II.
Diameter transversa a fundo alterius acetabuli ad alterius fundum . . .	4" 2"	4" 4"
Diameter transversa inter margines ossium ischii posteriores in media incisura ischiadica majore . . .	4" 3"	4" 6"
Diameter transversa inter spinas ischii	3" 6"	3" 6"
Diameter obliqua I, a media membrana obturatoria lateris sinistri ad incisuram ischiadicam majorem dextram	4" 3"	4" 4"
Diameter obliqua II, a media membrana obturatoria lateris sinistri ad incisuram ischiadicam lateris dextri, ad sinistrum . . . . .	4" 6"	4" 7"
Distantia sacro-cotyloidea lateris dextri	1)	3" 6"
" " " sinistri		4"
" sacro-spinosa lateris dextri	4" 10"	4" 2"
" " " sinistri	4" 11"	4" 5"
Conjugata aperturae III, ab apice os sis sacri ad marginem symphyseos inferiorem . . . . .	4" 4"	3" 6"
Conjugata aperturae IV, ab apice os sis coccygis ad marginem symphyseos inferiorem . . . . .	3" 5"	3"
Distantia a linea innominata ad tuber ischii lateris dextri . . . . .	3" 8"	3" 9"
Distantia a linea innominata ad tuber ischii lateris sinistri . . . . .	3" 10"	3" 2"

	Pelvis I.	Pelvis II.
Diameter transversa inter tubera ischii	4" 3"	4" 6"
Altitudo totius pelvis, a crista ilei lateris dextri ad tuber ischii dextrum	7" 6"	8"
Altitudo totius pelvis, a crista ilei lateris sinistri ad tuber ischii sinistrum	7" 5"	7" 3"
Distantia a promontorio ad os coccygis apicem . . . . .	4" 4"	5"
Latitudo ossis sacri baseos . . . .	4" 10"	5" 3"
Distantia a tubere ischii dextro ad spinam ilei post. super. lateris sinistri	6"	6" 5"
Distantia a tubere ischii sinistro ad spinam ilei post. super. lateris dextri	6" 3"	6" 7"
Distantia a tubere ischii dextro ad trochanterem minorem dextrum	2" 2"	1)
Distantia a tubere ischii sinistro ad trochanterem minorem sinistrum	2" 7"	
Longitudo ossis coccygis . . . . .	1" 9"	1" 6"

## PARS ALTERA.

### De ortu deformitatum pelvium.

#### a. De pelvi, quam priorem descriptimus, ossis femoris dextri affectione accidente.

Quam pelvum si consideraverimus respectu habitu ortus abnormitatum in illa obviarum, duo nobis offeruntur momenta, quae, et causae et temporis ratione ducta, inter se distinguantur oportet:

1. Femoris dextri affectio,
2. Pelvis, praesertim lateris ejus sinistri, mutationes cum illa conjunctae.

Jam quaeritur, qua in re formae colli femoris mutatio consistat, et quibus ex processibus ejus causa sit repetenda.

Statu normali collum femoris, circiter 4" longum, a parte superiore et interna obliquum ad partem inferiorem externaque decursum init. Collo femoris breviore facto, necesse est, totum os femoris sursum attolli, quo sit, ut prae ceteris partibus etiam trochanter major conspicuum situs mutationem subeat. Quia in re colli ad os femoris insertio non altiore, quam insertio ad caput femoris, loco sita esse possit.

Quae ratio, quamquam minorem in modum, nostro in casu observatur. Itaque praeter processus in osse ipso factos, qui eo valuerunt, ut os brevius fieret,

abnormitatis explicandae causa aliquod quaerendum est momentum, quo evenire potuerit, ut os brevius existaret. Quod momentum aut relative aut absolute exterrnum sit, necesse est, ergo aut musculorum contractio aut vis externa qua os ad partem superiorem sit propulsum. Quam rem ita se habere, peculiaris capitis femoris ratio coarguit, quam si contemplamur, nobis inyitis cogitatio suboritur, vim externam ad eam efficiendam valuisse, quae a parte superiore externaque introrsum deorsumque articulationis caput percusserit, atque velut rotando ad hoc egerit. Quo factum est, ut inferior capitis femoris superficies etiam ad partem inferiorem externaque conversa e contactu cum acetabulo eximeretur, superiore articuli superficie profundius descendente atque ad acetabulum sese applicet. Ceterum praecipue, quod ad hanc quaestionem attinet, morbi historiam deesse vehementer dolendum est, quoniam hujus demum auxilio res ad liquidum perduci potuerit.

Praeter causam occasionalem modo expositam respiciendus est processus pathologicus, cuius ipso in osse reposita est sedes. Indo, quod massa corticalis compacta evanuit, massaque spongiosa minus densa praevalet, satis appareat, ossis atrophiam adesse, qualis quidem forma eadem multis in casibus, in quibus, articulationis coxae femorisque affectionibus praegressis, cadaverum sectiones institutae sunt, in conspectum venit. Quae atrophia totum os, quantum quidem ejus super-

est, corripuit; nam ossis ambitus ubique 2<sup>m</sup> deminutus et trochanterum magnitudo decrevisse cernitur.

Jam nobis quaestio offertur, quaenam inter hanc atrophiam et commutatam colli femoris formam ratio intercedat? Utrum videlicet atrophia, sicuti pelvis os-sium acetabulum circumdantium atrophia, non fuerit nisi insultus mechanici sequela, an illa jam antea ad-fuerit atque deformitatis ortum adjuverit?

Ad quas quaestiones licet certum dari non possit responsum, tamen sententia ea, qua atrophia consecutiva atque, si tempus respexeris, quo collum femoris formam mutarit, non primaria judicetur, proprius ad veritatis speciem accedere videtur. Etenim sententiae contrariae jam illud momentum contradicit, quod atrophia pro rata parte exigua est; nam, si primaria est atrophia, quo in casu formae commutatio jam vi minore agente effici potest, eam aliquanto longius progressam, ossis massam multo magis deminutam, atque adipem com-pensatam et similia observamus. Quo accedit, quod, excepta abnormi colli femoris formatione, nullum nobis offertur adminiculum, quo innixi causam statuere queamus, quae, uti verbi causa amputatio, partis illius atrophiam in sequelis habere potuerit.

Quae quum ita sint, omnium verisimillimum est, ipsam illam vim mechanicam turbasque functionis atque nutritionis, vi illa provocatas atrophiae causam attulisse.

Tempore recentiore scriptores<sup>3)</sup> quidam anglici commutationes quasdam pathologicas anatomicas repere-runt, quibus interstitiali colli femoris absorptioni no-men dedere. Quae absorptio praeceps post amputa-tiones atque aetate proiectiore etc. occurrit et atrophia telae osseae apparuit, quae tela, cavis nunc minoribus nunc majoribus, in quibus massa quedam oleosa ine-rat, perforata, ossis firmitatem haud parum minuerat. Aliis autem in casibus rarefactio tantum exigua cellulis substantiae spongiosae satis aequabiliter amplificatis nitebatur<sup>4)</sup>, — in aliis, nulla majoris momenti abnormitate conspicua, solum femoris collum brevius factum cernebatur. Quae ultima rei ratio quum casui a nobis descripto respondeat, nomine absorptionis interstitialis uti licet, attamen, quae processus natura sit, certius explanare non possumus.

Tali colli femoris abnormitate membra functio, si non ex toto sublata, haud dubie tamen impedita fuit; nam necesse erat, aegrotum claudicare atque extremita-tem non eo, quo aequum est, modo functioni suae praeesse. Itaque fieri non potuit, quin in locomotione extremitas altera plus quam altera ageret, atque corporis pondere ad eam maxime inclinante secundarie-

3) Artley Cooper, Dislocations and Fract. of the joints. p. 134.

— E. Gurlt, Beiträge zur pathologischen Anatomie der Gelenkkrankhei-ten. Berlin 1853. p. 381.

4) R. Adams, Dublin Gazette et London Medical Gazette. New Series. 1845. Vol. I. 1845 p. 1175.

pelvis mutationes efficerentur. Solius extremitatis sinistrae usu extremitas dextra; quam verisimile est jam directe ob causam eandem, qua colli femoris abnormalitas producta esset, laborasse, nutritione etiam magis diminuta atrophica evasit, simulque partes vicinae, praesertim quae acetabulum conformant atque cingunt, atrophia correptae sunt. Ergo acetabulum justo minus exstitit, pelvis minoris altitudo (et quidem latere dextro 3" 8", sinistro 3" 10") diminuta est; tuber ileopectineum deplanatum, tuberculum pubicum (dextra 8", sinistra 1") minutum est corporisque pondere ad acetabuli sinistri fundum praecepue agente, linea<sup>e</sup> innominatae in latere sinistro directio, cum eaque introitus pelvis forma commutata. Acetabuli fundus solito magis in pelvis spatium intravit, qua re linea<sup>e</sup> innominatae curvaturam deplanari partisque ejus anterioris decursum in longius porrigi necesse fuit. E contrario curvatura in synhondrosis sacro-iliacae regione adaucta fuit.

Quae d<sup>icitur</sup> in latere sinistro fiunt; lateris dextri linea<sup>e</sup> innominata in parte sua anteriore solito magis curvata, parsque ejus posterior in majoris arcus formam complanata est, ita ut foto decursu suo linea<sup>e</sup> innominata propius ad aequabilis segmenti circuli formam accederet. Quibus factis, fieri non potuit, quin symphysis ossium pubis dextrorum moveretur, ramusque ossis pubis horizontalis sinister in pelvis imprimetur. Ejusmodi pressus ab latere altero exhibiti effe-

ctum Rokitansky<sup>5)</sup> causam esse censuit, unde haec deformitas originem caperet, id quod, ad pelvis coxalgicam oblique ovatam quod attinet, Litzmann<sup>6)</sup> quoque confirmat; dum Blasius<sup>7)</sup> aetate recentissima, omnibus noxarum externarum effectibus neglectis, tali processui coxalgico formae pelvis mutationem adsorbit. Verumtamen pelvis mere coxalgica, quam vir eruditus vocat, a pelvis ab aliis descriptis eo differt, quod singulae abnormalitates in ipso latere contrario inveniuntur. Sic linea innominata lateris affecti magis in longum porrecta, sic pars plana ossis ilium, os sacrum ramus horizontalis ossis pubis in latere eodem atrophia correpta erant, nec non symphysis ossium pubis latus sanum versus declinaverat. Quarum abnormalitatem origo quum a causa externa repeti nequeat, illis nisi lateris affecti atrophia ansam praebuisse non potest; quae quidem atrophia processu coxalgico directe provocata fuit. Unde explicari potest, quod pars plana ossis ilium inclinatio a norma recessit, quodque foraminum sacralium anteriorum compressio defuit. Quae compressio, cum aliae sinistram ossis sacri demi-

5) Rokitansky, Lehrbuch der pathologischen Anatomie. 3. Aufl. 1856. Bd. II. p. 183.

6) Litzmann, Das schräg-ovale Becken mit besonderer Berücksichtigung seiner Entstehung im Gefolge einseitiger Coxalgie. Kiel 1853. pag. 13.

7) E. Blasius, Das rein coxalgische Becken in „Neue Beiträge zur praktischen Chirurgie“. Leipzig 1857. pag. 252.

nutione conjuncta, in doctrina de pelvis oblique coarctatae ortu maximi momenti habenda est, atque duplice cum forma introitus pelvis ratione contineri potest. Namque aut alae ossis sacri diminutio primaria est, ex anomala ejus formatione orta, aut ejus evolutio impedimentis postea objectis prohibita fuit. Manea alae ossis sacri formatio primaria ex nucleorum ossis vel defectu vel evolutione imperfecta oriunda quantam vim exhibeat, prae ceteris Hohl<sup>8)</sup> diligentius disquisivit, qui idem alam primae ossis sacri vertebrae secunda compensari demonstravit, atque, quantum haec momenta ad ossis sacri latitudinem lineaque innominatae in longum extensionem eoque ad introitus pelvis formam valeant, exposuit. Quas rerum conditiones ad explicandum pelvis oblique coarctatae ortum, idque primo vitae tempore tum vita foetali tum in pueritia, gravissimi momenti esse plane elucet. Ad illos quod spectat casus, in quibus forma posteriore tempore orta est, dubitari nequit, quin causa gravissima in momentis extrinsecus agentibus et quidem istis quaerenda sit conditionibus, quibus efficiatur, ut, lateris alterius evolutione progradiente partibusque jam evolutis atrophia correptis, lateris alterius conformatio retardetur. Quae rerum conditiones partim in nutritionis turbis, praesertim in affectionibus inflammatoriis (coxi-

tide), partim in causis indirecte agentibus repositae sunt, quae causae, quum efficiant, ut maxime alterum latus in usum convertatur, retardandae lateris alterius nutritioni ansam praebent (amputationes etc.)

Ad pelvem, de qua nos disserimus, quod attinet, rei conditionem, quam posteriorem diximus, valuisse verisimile est, nempe, partibus omnibus ad normam evolutis, postea femoris affectione orta, ob eamque extremitate sinistra magis altera in usum vocata, lateris sinistri ossis sacri atrophiam exstitisse, corporis pondere ad synchondrosin sacro-iliacam sinistram vim exhibente. Namque reflexi synchondrosis sacro-iliacae sinistrae margines, pressum solito majorem ad hanc partem exhibitum esse, indicant, sicuti multi jam observatores admonuerunt, tali rerum conditione, nisi cartilago interstitialis, quae saepenumero pertinaciter resistat, diminuatur, ossis margines torosos evadere atque os pressioni exhibitae veluti ad latus versus cedere.

b. *De pelvi altera, accidente femoris sinistri luxatione inveterata.*

Uti in pelvi priore, ita in hac quoque, si de hujus deformitatis ortu quaeritur, duo phaenomenorum genera inter se discernere possumus:

1. Luxationem et articuli novi formationem, adjunctis femoris mutationibus,
2. Consecutivas dimensionum pelvis mutationes,

8) Hohl, Zur Pathologie des Beckens. Leipzig 1852.

partium singularum atrophia aliarumque directions mutata provocatas.

Ad luxationem quod spectat, ea utrum vi externa an processu coxalgico producta fuerit, certo dijudicari nequit. Attamen posterius nobis verisimilius videtur, quoniam profundae ossis femoris destructiones potius ex ejusmodi processu inflammatorio cum cariosa ossis degeneratione conjuncto, quam ex sola ad partes vicinas pressione, quibus cum partibus femur dislocatum in contactum venerit, repeti posse videntur.

Jam nobis querendum est, quo modo eae, quas descripsimus, ossis femoris sinistri deformationes extortae fuerint.

Quantum verisimile credatur, os femoris sinistrum via primaria ad latus externum partis planae ossis ilium sinistri dislocatum fuit. Quae luxationum species omnium frequentissima est, nec non asperitas auri similis, illo in loco obvia, eum in modum explicari potuerit, ut eam novae articuli superficie jam formandae initia esse dicamus, quibus os luxatum pro adminiculo utatur. Hanc ossum regenerationem, quam apertum est processuum inflammatoriorum signum esse, femore sursum et ad partem posticam luxato, saepe reperiri Gurli<sup>9)</sup> commemorat.

9) E. Gurli, Ueber einige durch Erkrankung der Gelenkverbindungen verursachte Missbildungen etc. p. 27.

Neque omnino intelligi potest, quo alio modo locus iste asper ortum habuerit. Ceterum, quoquo modo res se habet, utique dislocatio ad ossis ilium partem planam non ita celeriter praeteriit atque ad finis superioris ossis femoris formam mutandam valuit. Qua dislocatione muscularum actionem diversis modis commutari necesse fuit. Etenim, muscularum glutaeorum actione cessante, non flexores femoris praevalere coepерunt. Piores, ut fieri solet, in massas fibrosas, vera substantia musculari evanescente, degenerarunt atque atrophici evasere. Contra ea, quum crista ilei mm. glutaeis trahi desineret, tractio in partem contrariam, musculo iliopsoa exhibita, praevaluit, quo factum est, ut deinde lateris sinistri ossa ilium atque pubis deformarentur. Quam formae mutandae vim G. Hulshoff<sup>10)</sup> atque fratres Vrolik<sup>11)</sup> uberior explicuerunt; nos de ea infra disseremus.

Ceterum situs, quem femur obtinuerat, non in perpetuum durabat, sed femur proprius lineam medianam atque ad partem anteriorem processit, quippe quod iam in pelvi siccata spinae ilei anteribri inferiori ope arti-

10) G. Hulshoff, Specimen pathologico-medicum de mutationibus formae ossium vi externa productis. Diss. inaug. Rheno-Tragis. Amsterdam 1839.

11) G. Vrolik, Essai sur les effects produits dans le corps humain par la luxation conjointe et occidentale non reducti du femur. Trad. du Hollandais. Amsterdam 1839. — W. Vrolik, Tabulae ad illustrandam embryogenesin hominis et mammalium tam abnormalen quam normaliem. Amsterdam 1849. Tab. 83-87.

culi affixum videamus. Quae loco motio quibus momentis provocata fuerit, nos quidem indicare non possumus.

Fortasse vi mechanica factum est, ut os subito loco moveretur, fortasse dislocatio potius paullatim evenit musculis vim exhibentibus, ex quibus m. iliopsoas et m. pectineus, nec non mm. adductores plurimum valuisse videantur. Femur, postquam ad spinam ilei ant. infer pervenit, ei affixum est, atque, dum spina, irritatione exhibita, intumescit, femur, jam antea et capitulo et collo privatum, novo articulationis capitulo sese adaptavit et excavatum fuit. Ankylosis non facta est, quoniam, ut verisimile est, membro jam prius in usum converso, ne fieret, prohibitum fuit. Tali modo partes inter se contingentes laevigatae sunt, totumque membrum certam ad pelvim positionem obtinuit. Quod, musculis adductoribus et flexoribus tractionem exhibentibus, introrsum rotari simulque adduci necesse erat, quo situ fossam articulationis ossis femoris et spinae ilei ant. infer. capitulum optime inter se adaptata videamus. Ex hac ratione pelvis cum femore lateris sinistri intercedente secundariae pelvis mutationes exortae sunt, quae quidem imprimis membra motione non impedita insignes exstiterunt.

Praecipue sinistri pelvis dimidi atrophia in oculos incurrit, cuius quidem causa maxime in duobus momentis quaerenda videtur, nimirum tum in processu coxalgico tum in usu hujus lateris imperfecto. Ad mo-

mentum alterum quod spectat, Blasius<sup>12)</sup> jam explanavit, quatenus processus iste pathologicus non modo partium directe affectarum nutritionem diminuat, verum etiam partium finitimarum atrophia manifestetur. Nos itaque atrophiam, praesertim ossis ilium et alae ossis sacri, ad hunc processum referre possumus. Idem vir doctus jam admöniuit, quomodo alae ossis sacri jam ad normam evolutae magnitudo diminui possit. Quo accessit, quod, vita durante, femoris sinistri usus haud dubie minutus fuit, quare fieri non potuit, quin hujus lateris atrophia etiam augeretur.

Mutata partis planae ossis ilium forma partim ex iis, quae modo protulimus, partim ex mutata musculorum vi, ad quam os illud expositum erat, deduci potest. Qua in re praevalens m. iliopsoae, actio maximi momenti est, qui, quum ejus antagonistae agere desivissent, praevalere coepit, et perpetuo trahendo efficit, ut os ilium magis excavaretur; simulque magis erigeretur et infra spinam ilei ant. inf. sulcum canaliculo similem acciperet<sup>13)</sup>. Neque non haec praevalens musculi illius vis, accidente atrophia, ut totum pelvis dimidium inferiorem obtineret situm, causam attulit. Attamen ejus effectus etiam amplius ad os pubis sese extendit, cujus quidem ramus horizontalis, musculo illo vim exhibente, velut impressus appetit. Ceterum, ad hanc

12) I. c. p. 266 seqq.

13) Guerin, Gazette médicale, 1836. p. 15.

formae mutationem quod attinet, ea ex parte etiam in pectineo attribuenda videtur. Omnibus his momentis, ut dimidium pelvis sinistrum inferiorem situm teneret, factum est.

Praeterea aliud quoque momentum causale nobis offertur, ad quod animi attentionem advertamus oportet, nempe acetabuli capitulo femoris derelicti atrophia. Etenim multis, quae institutae sunt, cadaverum sectionibus satis constat, talibus in casibus acetabulum quoque atrophia corripi, qua fiat, ut acuti ejus margines evanescant, totoque ejus spatio deminuto, denique non nisi fossa plerisque in casibus triangularis relinquatur, quae, quum laxa tela ossea ei insit, etiam minus profunda cernitur. Ergo veluti cicatricatio adest post ulcerationem coxalgicam inflammatoriam os corripiens, ex qua quidem Rokitansky<sup>14)</sup> etiam formae partium acetabulum cingentium mutationes dedit.

Nam illa cicatricis contractione ramum horizontalis ossis pubis et tuber ischii sinistrum necesse est proprius inter se admoveri. Alterum autem momentum, quod eo valeat, ut duae, quas diximus, partes altera alteri etiam proprius admoveantur, in effectu est repositum, quem musculi breves e tubere ischii prodeunt, quibus femur rotatur, nempe m. quadratus femoris et mm. gemelli et obturatorii, exhibent. Huelsinghoff et Vrolik his musculis tuberis ischii ad partem externam tractionem adscripsere, qua quidem tra-

14) I. c. pag. 184.

ctione tuber simul sursum attolli, per se intelligitur. Hoc modo denique evenit, ut ramus descendens ossis pubis et ossis ischii, quemadmodum supra memoravimus, ad exteriora declinaret. Quibus processibus in latere altero agentibus, exitus pelvis dilatatio, introitus ejus coarctationi omnino contraria, producta est. Hoc in casu factum est, quod Litzmann<sup>15)</sup> rarissime accidere contendit, ut, dum in pelvis introitu latus alterum capacious est, alterum latus dilatatum appareat. Introitus formam oblique coarctatam si contemplamur, ad ejus ortum explicandum non licet momenta eadem afferre, quae in pelvis prioris descriptione attulimus, sed potius genesin a Blasius expositam respiciamus oportet. Sinistrum pelvis latus quod coarctatum est, hanc coarctionem non a pressu ad latus alterum exhibito repetendam esse coarguit, quoniam si res ita se haberet, illam in ipso latere altero adesse necesse foret. Quod quum ita sit, nihil superest, nisi ut coarctationis ortum ad atrophiam sinistri pelvis lateris, ac praesertim alae sinistram ossis sacri referamus, cui quidem rei Blasius plurimum momenti tribuit.

Itaque Litzmann<sup>16)</sup> viro docto, assentiri non possumus, talibus verbis utenti: „Es bedarf keiner Erwähnung, dass der coxalgische Process nicht als solcher die charakteristische Verschiebung des Beckens

15) I. c. pag. 24.

16) I. c. pag. 12.

herbeiführt, sondern nur insofern er zu einem überwiegend auf die gesunde Seite wirkenden Druck Veranlassung giebt, dass also die Verschiebung nicht zu Stande kommen wird, wenn z. B. der Kranke bis zu seinem Tode hin an das Lager gefesselt bleibt," — cui opinioni casus, quos Blasius<sup>17)</sup> in medium protulit, quam maxime contradicunt. Nostro in casu fortasse extremitatis affectae usus saltem partialis impedimento fuit, ne, pressione praecipue ad membrum sanguinum exhibita, dislocatio oriretur.

Denique hoc loco de re quadam mentio injicienda est, nempe de trochanteris minoris ratione, quem laevigatum apparere sulcoque infra acetabulum devastatum posito adjacere, supra jam commemoravimus. Duobus ossibus tali modo proxime inter se contingentibus, necesse erat; tendinem musculi iliopsoae frictione, quae his rerum conditionibus evitari nequuit, affici. Inde verisimillimum est, etiam tendinis in fibras disruptionem ortam esse, qualis quidem a nonnullis scrutatoribus<sup>18)</sup> describitur.

Denique a re modo exposita discedere non possumus, nisi paucis verbis de pelvis oblique coarctatae diagnosis adjectis.

Omnes, quae hucusque propositae sunt, rationes internam duorum pelvis laterum asymmetriam dignoscendi, suis quaeque incommodis vitiisque laborant.

17) I. c. pag. 266.

18) Cruveilhier, Anat. pathol. avec planches. Livraison 78. Pl. 6. — Gurli, Beiträge zur vergleichenden Anat. pag. 484.

In examine instituendo omnium maxime anamnesis respiciatur oportet, ut videlicet cognoscamus, nonne priore tempore processus aliqui inflammatorii adsuerint, qui ad hanc pelvis deformitatem efficiendam valere possint, atque nome fractura aliqua praecesserit, quae et ipsa ad lateris alterius atrophiam ansam dare queat.

In exploratione ipsa suscipienda, quas Naegele afferit dimensiones, maximi quidem momenti habendae sunt; verumtamen hae quoque nonnullis rerum conditionibus, veluti nimia adipis copia deposita, quasdam subeunt mutationes, quas in metiendo vix satis certo definire liceat.

Eadem ratio est methodorum ab aliis quibusdam observatoribus, uti a Michaëlis<sup>19)</sup>, Ritgen<sup>20)</sup>, Hunnius<sup>21)</sup>, prolatarum, quibus hanc pelvis deformitatem dignoscere possimus. Etenim hae quoque omnes parum certae apparent.

Nobis rei cujusdam, nempe situs symphyseos ossium pubis, non eo, quo aequum est, modo ratio ducta videtur. Cujus partis ad fossam promontorii ratio praecipue respicienda est; namque exercitatione tactus sati brevi temporis spatio adeo acui potest, ut facile persentias, utrum symphysis ossium pubis promontorio directe sit opposita, an ad hoc vel illud latus declinet.

19) Michaëlis, Das enge Becken. Herausgegeb. von C. Th. Litzmann. Leipzig 1851. pag. 167.

20) Ritgen, Neue Zeitschrift für Geburtshilfe. Bd. XXVIII., S. 26. XXIX, S. 333.

21) Hunnius, De pelvi oblique ovata. Diss. inaug. Dorpati Livon. 1851.

Hoc respectu signum diagnosticum a P. U. Walter, viro celeberrimo, commendatum haud exiguae dignitatis est, quod quidem eo consistit, quod manu immissa in symphyseos ossium pubis superficie interna contrectanda ejus ad latus alterutrum deflexio atque major rami alterius horizontalis ossis pubis in pelvim prominentia, si qua adest, facile persentiatur.

Porro ossis sacri ratio habenda est, idque duobis modis, primo digito explorante secundum processus spinosos spurios ducto, num qua scoliosis fortasse extet, examinando, deinde rationem, quae huic ossi cum digito in vaginam introducto intercedat, respiciendo. Namque digito via recta immisso, si quidem pelvis structura normalis est, media ossis sacri pars tangatur necesse est. Itaque si marginis hujus ossis a loco primum tacto distantiam utrumque latus versus comparaveris, differentias gravioris momenti, si quae adsunt, satis certo eruere licebit.

### **Explicatio tabulae.**

Fig. I. pelvim prius descriptam proponit.

- a) ala sinistra ossis sacri brevior facta cum reflexis ossis marginibus ad synchondrosis sacro-iliacum.
- b) tuberculum ileo-pectineum lateris sinistri, b' lateris dextri
- c) tuberculum pubicum lateris sinistri, c' lateris dextri
- d) collum femoris.

Fig. II. femoris os ad illam pertinens dissecatum ostendit cum acetabulo.

- a) trochanter major
- b) collum femoris brevius factum
- c) caput femoris
- d) ligamentum capsulare
- e) substantia corticalis

Fig. III. pelvim alteram, desuper adspectam, proponit

- a) ala sinistra ossis sacri brevior facta
- b) spina ilei superior anterior
- c) spina ilei anterior inferior
- d) sulcus infra spinam ilei inventus
- e) osteophytum planum.

Fig. IV. pelvum eandem a parte anteriore et paululum  
a parte sinistra spectatam ostendit.

- a) spina ilei anterior inferior incrassata
- b) sulcus infra spinam eam situs.
- c) tuberculum ileo-pectineum
- d) locus depresso rami horizontalis ossis pubis sinistri
- e) fovea triangularis locum acetabuli obtinens
- f) locus, quo ramus descendens ossis ischii,
- g) quo ramus descendens ossis pubis se ad partem ex-  
ternam convertant
- h) Fovea trochanteri minori adjacens

Fig. V. superiorem finem ossis femoris sinistri offert.

- a) trochanter major
- b) sulcus spinam anteriorem inferiorem cingens
- c) trochanter minor laevigatus.

Fig. I.




Fig. II.




Fig. IV.





Fig. V.



Fig. III.



## THESES.

---

1. *Brephotrophea probanda sunt.*
  2. *In partibus inflammatis sanguinis stasis non exstat.*
  3. *Aucta a latere pressio in ductu Whartoniano (auctore Ludwig) repetenda non est ex salivae secretione adacta.*
  4. *Respiratio feminarum maxima ex parte thoracica non congenita, sed acquisita.*
  5. *Tam frequentes capite praevio situs non a solo capitis pondere pendent.*
  6. *Nonnullis in casibus operationem aegroto non consentiente suspicere licet.*
-